

DISSERTATIO ACADEMICA;
DE
POPULARITATE
ORATIONUM SACRARUM,

QUAM,

*Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
Publico examini subjiciunt*

*GABRIEL WINTER,
Pphilos. Mag. & Adj. Minist. in Kides,*

NEC NON

*ERICUS WENELL,
Wiburgenses.*

In Auditorio Maj. die v Decembr. A. MDCCXCVIII

H. A. M. C.

*ABOÆ,
Typis FRENCKELLIANIS.*

IN SACRAM REGIAM MAJESTATEM
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO DOMINO,
**ZACHARIAE
CYGNÆO,**

SACRO - SANCTÆ THEOLOGIAE DOCTORI,
DIOECESEOS BORGOËNSIS EPISCOPO,
GYMNASII SCHOLARUMQUE EPHORO,

MÆCENATI MAXIMO,

SACRUM.



§. I.

Quemadmodum Theologia Christiana, pro vario temporum gustu & scientiarum habitu, variam sibi induxit speciem atque formam; ita quoque in Religione publice proponenda, diversa a die in diem obtinuit methodus. Fuit proh dolor! tempus, quo Diva Religio usque adeo esset conspurcata, ut nugis ferme & fabellis anilibus resonarent templa Christianorum; sed favente Numine lucemqne humani ingenii accidente, apud nos præteriit: & ex lætiori illa Theologiæ facie, in sinu nostræ ætatis nata & efficta, speramus, imo confidimus, fore, ut maculæ hic & illic residuae, luce indies crescente sensim abstergantur, utque Religio, ad nobilem suam simplicitatem atque integritatem restituta, interiore sua fulta virtute olim in Ecclesia regnabit. Quo cum ex nostra sententia, non omni destituta experientiæ testimonio, vehementer conducat, ut quorum curæ commissa est Religio-nis propagatio, ii capita ejus, perspicue & ad vulgi captum accommodate, h. e. *populariter* Auditoribus suis exponant; in animum induximus, virtutes hujus dicendi generis Specimine hocce Academico breviter

delineare: benigniorem Lectorum censuram, omni verborum honore & observantia expetentes.

§. II.

Est hæc omnium scriptorum funesta, sed justissima sors, ut, nisi legentes, quorum in usum & gratiam edita sint atque concinnata, percepta bene intelligant, juxta vetus illud: *"qui non vult intelligi, nec debet legi,"* perpetuæ condemnata oblivioni, veribus demum & squalore consumenda relinquuntur; quod idem ut de sermonibus Sacris majore cum jure valere existimetur, ipsa rei natura & ratio suadere videatur. Auditores enim rudes & inculti, nec disciplinis philosophicis imbuti aut adsueti, non secus ac infantes, qui cibum graviorem digerere & in succum atque sanguinem convertere haud valent, eruditio nimis & ad Scholæ usum conformato dicendi genere, non modo non reficiuntur, sed potius opprimuntur; ut taceamus, Sacras orationes, quia recitantur tantum, non vero leguntur, eo etiam pacto, simpliciori, ne aures effugiant populares, opus habere contextu. a)

Un-

a) BLAIR, Lect. on Rhetoric and Belles Lettres Vol. III.
p. 14. Speaking admits a more easy copious Style, and less fettered by rule; repetitions may often be necessary, parentheses may sometimes be graceful, the same thought must often be placed in different views, as the hearers can catch it only from the mouth of the Speaker and have not the advantage, as

Unde artis Rheticæ Magistri, *Perſpicuitatem*, ut potente principem Eloquentiæ virtutem, qua omnis perſuasio, suavitas, omninoque omnis gravitas in dicendo est superstructa, ſcribentibus & dicentibus follicite adeo injungunt. Ubi tamen obſervandum, ne ad infimum perſpicuitatis gradum (doctis hominibus vile diceudi genus) ſemper & ubique, ſine ullo auditorum discriminē nos demittamus. Coram Auditorio ſcientiarum luce colluſtrato, ſalva perſpicuitate, *ſublime*, ut dicere ſolent, dicendi genus, commode & ſine Auditorum jactura poterit adhiberi; ubi vero Auditorium rude fuerit vel mixtum, quale Sacris Concionatoribus plerumque contingit, ad inculta & tarda eorum ingenia ſe nimis demittere non potest Orator, tantoque magis laudem merebitur, quo popularius & facilius, tam quoad *res* ſive *materiam* tractandam, quam quoad verborum ſtructuram ſive *formam*, ſua fluat oratio.

§. III.

Cum vero exspectandum non sit, ut singula Religionis noſtræ capita dilucide adeo, ut nulla obſcuritatis exſtent vestigia, poſſint proponi & explicari, quominus multa, humano ingenio impervia ſint agnoscenda; nos quidem non fuasperimus, ut Concionato-

A 3

res,

in reading a book, of turning back again, and of dwelling on what they do not fully comprehend.

res, qui virtutis & Religionis studio bene consulere velint, in *subtilem Religionis Theoriam*, ad Theologorum Scholas proprie pertinentem, partesque ejus difficillimas, anxie Sermonibus suis inquirant, ubi, ratione maxime ad praxin doctrinarum, sive morum doctrinam, quae in se excellentissima est, habita, breviore facilioreque via Auditores suos ad metam, quam omnis spectat Religio & quae in virtutis & veræ pietatis studio posita est, deducere possunt. b) Ea nempe est humani ingenii indoles, ut vi sua in altissimos quosvis penetrare velit recessus, & ubi se derelictum sentiat, vel animo hæreat, vel scrupulis vexetur; adeo ut magna opus sit circumspectione, omissa popularitate, scrupulis ejusmodi, in quibus excitandis, quam dispellendis, feliciores esse Sacri haud raro solent

Præ-

b) BLAIR, I. c. Vol. II. Lecture XXIX. p 274. "The end of all preaching is, to persuade men to become good . . . At the same time, it must be remembered, that all the Preacher's instructions are to be of the practical kind; and that persuasion must ever be his ultimate object. It is not to discuss some abstruse point, that he ascends the Pulpit. It is not to illustrate some metaphysical truth, or to inform men of something which they never heard before, but it is to make them better men; it is to give them, at once, clear views, and persuasive impressions of religious truth." Cfr. ZIMMERMANS Abhandl. von der frommen und sorgfältigen Simplicität bey dem Vortrage Göttlicher Wahrheiten; nec non PFENNIGER von der Popularität in Predigen.

Præcones, locum concedant. Ex quo apparet, O-
ratori Sacro nihil curatius nihilque antiquius esse de-
bere, quam ut in themate diligendo, res, quantum
sine dispendio pietatis fieri queat, declinet popula-
rem tractandi rationem respuentes, ac eas contra di-
lignantissime explicet doctrinas, quæ ad animos emen-
dandos pertinent, vel quibus hæ ut fulcris nituntur.
In tractatione vero ipsa, si fructum laboris percipere
gestit, ita versabitur, ut ad rude & prope infantile
Auditorum plerorumque ingenium, opiniones, mores
& sensus, se semper & ubique demittat. Argumenta
itaque operose excogitata, enunciationes abstractas,
demonstrations nimis subtile, artificiosas, syllogisti-
ca forma propositas, ac a primis usque principiis &
veritatibus universalibus, de quibus nec ipsi erudití
semper consentiunt, deductas, sedulo evitet c); nec
longam & tædiosam arguimentorum seriem, parenthe-
ses, episodia e. s. p., quibus Auditorum attentio, re-
flexioni longiori minime adsueta, aut fatigari aut ab-
rumpi facile poterit, eruditionis ejusdam gloriam

ca-

c) Ad naturam quoque sermonum Sacerdotum, uti o-
mnis sermonis, sine dubio pertinet, ut artis & labo-
ris perrinacioris nulla in eo compareant vestigia; ita
ut recte ea de re judicet Cl. TRUBLET, Reflexions sur
l'Eloquence, § XIII. p. 21. his utens verbis: *Si l'art
& le travail ne doivent se faire sentir dans aucun ou-
vrage, c'est sur tout dans un sermon, qui devroit pa-
roître fait sur le champ.* Unde summae artis recte
habetur, non videri artem.

captandi gratia, affectet d): quin potius omnibus ingenii sui viribus in id incumbat, ut omnia plane, intuitive & in aperta quasi tabula præbeat conspicienda. Atque hoc in primis faciet, si imaginibus & similitudinibus, a rerum natura & physica mundi apparentia, non subtiliori illa ejus cognitione, depromtis, & in sensus facile cadentibus, res (justa adhibita comparatione) depingere exemplisque, vel e communī hominum experientia, optima sēpe in docendo magistra, vel ex Sacra Scriptura desumptis, rem noviter illustrare; quæ omnia non modo ad institutionem, verum etiam ad delectationem, in oratione ne nude & steriliter pertexatur, spectandam; egregie ad eo conducere valent, ut ejusmodi ornamentis negletis, langueat omnis oratio. Sic v. g. in virtutis inculcando studio, inter alia quibus Sacra Historia abundat

d) Quidam in dicendo ita sunt copiosi, ut vel patientissimos Auditores delassare valeant; alii contra tam breves ut brevitatem sua obscuritatem creent. Medium vero hac in re, quemadmodum in ceteris omnibus, tenuisse juvabit; & quamvis media illa via certo non ubique possit præceptis definiri, prudens tamen Orator eandem semper ipse, periculo diligenter facto, deprehendet. Verissime igitur **QUINTILIANUS**, Institut. Orat. Libri XI. Cap. 1. "Judicio magis quam præceptis tradi potest, quantum satis sit, & quantum recipiant aures. Non habet hæc res mensuram & quasi pondus, sed ut in cibis, alia aliis magis complent." Cfr. quoque **BLAIR**, I. c. Vol. II. Lect. XXVII, p. 222. seqq.

undat exempla, ad singulare prorsus, perfectissimum & divinum Christi exemplum, quod speculi instar radios suos in omnes partes morum doctrinæ mittit, maxime conveniet provocare. Videndum vero, ne, sive exemplis sive testimoniis utentes Scripturæ, sensum ejus, aut ad præconceptas torqueamus opiniones, aut etiam omnem Crisim & Hermeneuticam, qua in re saepe ignorantiam produnt suam Ecclesiæ Ministri, in suggestu expromamus, sed potius sensum locorum, ubi obscurior fuerit, simpliciter &, si ita decet, per periphrasin explicemus. Popularitati enim haud bene consulunt, qui in locis Scripturæ Sacræ interpretandis, ad regulas artis, quorum vim vulgus minime capit, se componunt, obscuritatem loci sic majori adhuc caligine obducentes e). Sod solenne est, quod Poëta dicit: "*Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.*" Unde simul patet, mysticis & nimis reconditis, Spirituales vocare solent, explicationibus, quibus ad nauseam usque adsyeti non pauci videntur Concionatores, utpote rei naturæ & popularitati ex diametro oppositis, studiose esse abstinendum. Sic vero bene utcunque, quæ ad Thema pertinent, captui auditorum adcommode explicatis, illustratis & conformatis; spe tamen sua frustrabitur Sacer Orator, nisi naturali cogitationum nexu & ordine se invicem

B

ex-

e) Quid hac de re tenendum sit, & de popularitate in genere, cfr. SCHMIDS Anleitung zum populären Kanzelyortrag.

excipient & sustineant argumenta (*unitatem f*) appellant Rethores), ita ut suo quodam systemate, (licet non philosophico illo & nimis scientifico, a populari loquendi ratione alieno), cohæreant *g*). Præterquam enim quod perspicuitas ordine bujusmodi adhibendo adjuvetur & augeatur, fallaci vulgi succurritur memoriæ, cuius etiam ratione habita, argumenta, graviora faltem, ne auditorum prætervolent aures, in oratione populari, sub alia atque alia forma, certe in Epilogo (*usum practicum vulgo vocant*), scite erunt repetenda.

§. IV.

Huic vero populari *res tractandi rationi*, nisi accedat perspicuitas in *verbis eorumque juncta*, operam & oleum perdet Orator. Vocabula igitur obscuriora, in primis ambigua, terminos technicos, non nisi in Scholæ usum destinatos, omninoque omnes phrases, formulas & verborum constructiones impeditiores, quæ crucem auditoribus figere posint, ellipses duriores, a rudi populo ne conjectura quidem assequendas, ceteraque obscuritatem parientia, quan-

f) Cfr. SULZER Allgemeine Theorie der Schönen Künste, vocab. Einheit.

g) Cfr. CLAR. Utter Disser. *de officio Oratoris Sacri in argumentis disponendis*, Präf. CEL. PORTHAN; & SPALDING, Ueber die Nutzbarkeit des Predigt-amtes, und deren Beförderung.

quantum fieri possit, declinet; & si aliquando reconditionibus ejusmodi vocabulis uti cogatur, explicatione ea definire non intermitte, cavens modo, ne explicatio sit vel nimis docta, vel ingenio & captui auditorum etiam illa impervia. Qua in re saepius peccant Concionatores; verba sono sibi familiaria & sacra, fidei, justitiae, cet. h) ore assidue usurpantes, sed genuinam vocabulorum significationem, aut quia nec ipsi bene intelligunt, aut quia eruditionis laudem solenni quadam obscuritate se promereri existiment, aut denique quod auditorum suorum ingenio nimis confidant, eruere negligentēs. Sciant vero hi, veram eruditionem perspicuitate sese prodere & commendare, meliusque esse audientium ingenio diffidere, quam eidem nimis tribuere, omnemque orationem popularē, quo simplicior fit, eo majori jure esse laudandam. Quod tamen non eo dixerim, ut simplicitatem in stilo ita esse sectandam velim, ut vilis & tristior inde evadat oratio. Stilo enim simplici, quem multi male intellecto vocabulo, cum humili & abjecto comparant dicendi genere i), minime repugnat, delectum habere vocabulorum, atque tropis, figuris & sententiis orationem ornare & attollere; caveat modo O-

b) Plura ejusmodi exempla colligit Clar. MOLANDER, in *Dissertatione de Elocutione Oratoris Sacri*, Præf. Cel. PORTHAN.

i) Cfr. Dissert. Clar. PALANDER, *de philosophia populari*, Præf. Cel. PORTHAN, §. 2.

rator, ne in scopulum hic prope adjacentem incidens, verba nimis exquisita temere sectando & coacervando popularitatem perdat, aut copia venerum dicendi, auditores, maris instar concitati, inundet k). "Quid enim," ut verbis utamur Ciceronis, "tam furiosum, quam verborum vel optimorum vel ornatisimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia" l). Verbo, vocabula nonnisi notæ significationis, & ideis, quas indicant, exprimendis convenientia, & veneres istæ, nullo alio consilio, quam ut perspicuitatem in oratione simul adjuvent, adhibeantur. Atque sic oratio, ad vulgi captum optime accommodata, sua se simplicitate merito commendabit.

§. V.

Constat igitur ex hactenus dictis, non cuivis Concionatori datum esse, popularitatem in sermonibus suis sacris recte tueri. Requiritur namque omnium primo accurata & solida Religionis notitia, sana Philosophia, ne in fanaticum abdueamur, innixa & suffulta m), deinde cognitio hominum & humani inge-

k) Varias *Simplicitatis* significationes egregiæ explicat BLAIR I. c. Vol. II. p. 31. seqq. Cfr. Disserit. Clar. INGMAN, *de Simplicitate, insigni ornatus virtute, & SULZER*, I. c. vocab. Einfalt.

l) De Oratore L. I. C. 12.

m) Quanta sit Philosophiæ in Religione cognoscenda & proponenda vis, ne nostra quidem ætate, qui Ortho-

genii in universum, auditorum vero præcipue, ingenii, progressum, morum, sensuum cet. suorum, non sine multorum annorum experientia comparanda; porro linguae accurata cognitio, cuius, in popularitate sarta tectaque conservanda, maxima est vis & potestas, in qua autem re nimis quantum peccant Concionatores vernaculi *n*), & denique summa prudentia, nec minor sapientia, ne hostium insultibus prodatur Religio. Rudiori enim vulgo, sive hominibus indoctis, doctrinam proponere cœlestem, æque difficilis ut plurimum labor est habendus, ac infantile docere ingenium; quod ut melius procedit sensuali & simpliciori adhibita docendi methodo, ita quoque felicius nemo in plebis versabitur institutione, quam cum sermonem ei familiarem atque cum vulgari viæ consuetudine consentientem, nec tamen plebejum,

B 3

fed

doxiæ laude in Ecclesia eminere satagunt, satis semper acute perspicunt; indeque videtur repetendum, quod vel nullum vel obscuriorem Religionis sensum vulgus habeat. "Hoc nempe," judice SENECA, "primum Philosophia promittit, sensum communem."

n) Cfr. *Historiola Concionum Saerarum Fennicarum*, Præf. Cel. PORTHAN, Partis post, §. VII.; itemque Disf. Clar. MOLANDER, l. c. ubi non pauca, fidem a nobis allatis conciliatura, occurrunt.

sed solenniorem & meditatiorem, qualem ne lingua
quidem respuit Fennica, ut sinistre judicant haud pau-
ci o), adhibeat. Neque dubitamus, quin vixor, his
dotibus ornatus & instructus, saepius de suggestu suo
Orator descendat.

o) Cfr. Tractatio Fennica: *Hyödyllinen luuvitus Luomisen
Töistä, yxinkertaissille avuxi Jumalan hyvyyden tundoon
ja palvelliukseen, typis nuperrime recusa, utpote Elo-
quentiae Fennicæ e paucis egregium exemplum.*

